

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

96. Aqua quartae gradationis Paracelsi

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

centur. *Anonym. de principiis naturæ & arte Alchym. pag. 30. Syntagm. Harmoniæ Rhenani.*

*Non spiritus Vitrioli rectificatus tantum, sed omnis acidus hic prodest, modo sit tingens & commisceatur vini philosophici spiritui, ut ejusdem generis inde fiat menstruum. Ita conficitur*

95. Butyrum Antimonii cum spiritu vini mixtum Basili, ✓

*Pag. 88. Currus triumphalis Antim.*

Rx. **M**ercurii vulgaris purissimè sublimati, antimonii, ana partes æquales, trita & mixta destilla per retortam, quæ spiritus retinet tribus vicibus; rectifica hoc oleum cum spiritu vini (*phil.*) & est paratum, & sanguinei coloris, ab initio erat album, & coalescit sicut glacies aut butyrum fusum. Hoc oleum multa mira peregit quæ alioquin natura vix permetteret credi emendari posse, sed tamen semper virtus, facultas & operatio ejus apparuit ex malo faciens bonum.

*Hoc compositum licet à Basilio detur ut medicamentum, non ceu menstruum, attamen apud Paracelsum in libro de gradationibus ut tale describitur.*

96. Aqua quartæ gradationis Paracelsi, ✓

*Libro de gradationibus, Pag. 131.*

Rx. **A**ntimonii libram unam, mercurii sublimati libram semis, destillentur ambo simul igne violento per alembicum, & ascendet rubedo quædam instar sanguinis spissa, quæ tingit & graduat unamquamque lunam in solem, & hunc pallidum ad supremam gradum coloris adducit permanentis.

Kk

Quam.

Quamvis Paracelsus admonere discipulos suos de spiritu vini phil. additione in suis compositionibus non semper necesse duxerit; nihilominus ego, nè erretis, necessariam hujus spiritus additionem in hoc menstruo vobis indicare debui, absque eo enim nullius esset momenti in Chymia secretiori, imò vobis in damnum cederet.

Aliquando non ipso vini phil. spiritu, sed ejus materiâ, videlicet oleoso quodam vegetabili, Adepti consecere hujus generis menstrua. Ita,

## 97. Aqua sextæ gradationis Paracelsi,

*Libro de gradationibus, Pag. 132.*

R. **S**ulphuris vivi libras duas, olei lini libras quatuor; coquantur in compositum (*hepar sulphuris vulgo dictum*) quod in oleum destilletur (*singulari & philosophica quadam cheiragogiâ, ad confectionem spiritus vini phil. pertinente;*) huic tantundem iterum addatur vivi sulphuris, & coquatur ut prius in compositum, ac in fimo equino digeratur per mensem, aut si diutius, melius.

Postmodum addatur salis Nitri, Vitrioli, Aluminis (*ingredientia aqua fortis*) florum æris, croci martis, cinabaris (*ad augendum sulphuris tincturam*) ana vertonem semis, (*einem halben vierling, id est, quadrantem semis libræ sive uncias duas,*) destilla quicquid ascendere voluerit, & liquores amove, servatis oleis tantum (*non oleo sed oleis, quia duo sunt album & rubeum*) quæ ponantur in vitream cucurbitam, additis speciebus ut supra, & capite mortuo pulverisato, simulque destilla rursus ut prius. Postmodum reaffeunde fœcibus, & putrificetur iterum per mensem, ac destilletur amplius. Evacuatis postea coloribus aut separatis (*rubeum ab albo*) rubeum serva quod rectificabis ut oportet, in quo laminæ lunæ digerantur suo tempore, & tandem fulmine reducantur.

*Aliquando Paracelsus hoc oleum vel sulphuris ignem confecit per*